



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Conciliorvm Omnivm Generalivm Et Provincialivm Collectio Regia

Ab anno CCCCII. ad annum CCCCXXX.

Parisiis, 1644

Tertivm. Quidquid Domino consecratur, ad ius pertinet sacerdotis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14918

DECRETA BONIFACII PAPÆ I.

QVÆ NON HABENTVR IN PRIORIBVS,
NUMERO QVINQUE:

Sunt autem desumpta ex Decretis Gratiani,
& ex vetustis codicibus aliis.

P R I M V M.

Ante annos triginta presbyter non ordinetur.

Si quis triginta ætatis suæ non impleuerit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etiam si valde sit dignus. Et ginta. ipse Dominus tricesimo anno baptizatus est, & sic cœpit docere. Oportet ergo eum, qui consecrandus est, usque ad hanc legitimam ætatem non consecrari.

S E C V N D V M.

Primati deferuntur negotia quæ metropolitanus explicare non valet.

Si inter episcopos eiusdem Concilii dubitatio emerget de ecclesiastico iure, & de aliis negotiis, primum metropolitanus eorum cum aliis quibusdam in Concilio considerans rem, diiudicet. Et si non acquiescat utraque pars iudicatis, tunc primas illius regionis inter ipsos audiat: & quod Canonibus & legibus consentaneum sit, hoc diffiniat. Et nulla pars valeat calculo eius contradicere.

T E R T I V M.

Quidquid Domino consecratur, ad ius pertinet sacerdotis.

Nulli liceat ignorare, quod omne quod Domino consecratur, siue fuerit homo, siue animal, siue ager, vel quidquid fuerit semel consecratum, sanctum sanctorum erit Domino, & ad ius pertinet sacerdotum. Propter quod inexcusabilis erit omnis, qui quæ a Domino & ecclesia, cui competunt, aufert, vastat & inuidit, vel eripit: & usque ad emendationem, ecclesiamque satisfactionem, ut sacrilegus iudicetur: & si emendare noluerit, excommunicetur.

Dicit. 78.
Si quis tri-

luc. 3.

6. quæst. 4.
Si inter epi-
scopos e-
iusdem.

22. quæst. 1.
Nulli liceat
ignorare.
Lexit. 27.